


Zu der

am 1. und 2. September

zu veranstaltenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler

des Königl. Gymnasiums, der Real-Schule und der Gymnasial-Vorbereitungs-Klasse

zu

Saarbrücken

so wie

zu dem darauf folgenden

Redeact

ladet

alle Freunde des Schulwesens

ergebenst ein

der Director

Dr. **Friedrich Ottemann.**

Inhalt:

Saarbrücken, gedruckt bei **Anton Hofer.** 1845.

PLATONIS DE VIRTUTE DOCTRINA.

Quamquam Plato in multis dialogis de virtute et in universum, ut in Protagora, in Menone, in libris de Republica, et de singulis virtutis partibus, ut in Euthyphrone, in Charmide, in Lachete, Gorgia, aliis disseruit: nusquam tamen apud eum certam virtutis definitionem invenimus. Sed non erit difficile, locis, qui ad hanc rem spectent, diligenter collectis, satis claram virtutis Platonicae imaginem depingere: quo munere ego hoc quidem loco ita fungar, ut non omnes, quae ad hanc doctrinam pertinent, quaestiones attingam, sed id potissimum agam, ut primum, quid Plato virtutem esse voluerit, ostendam, deinde inquiram, quid Platoni videatur interesse inter quatuor illas virtutis partes, quas vocant cardinales virtutes, sapientiam dico, fortitudinem, temperantiam, justitiam.

Ac primum quidem Plato virtutem omni rei adscribit, quae suum opus bene exercere possit: virtutem esse id, cujus ope suum quaeque res opus bene perficiat, cf. Schleiermach. introduction. in libb. de Rep. p. 23. Ita Plato in primo de Republ. libro extremo loquitur de aurium, oculorum, animi virtute, atque Socrates Rep. I. p. 353 interrogat: *ἆρ᾽ ἄν ποτε ὄμματα τὸ αὑτῶν ἔργον καλῶς ἀπεργάσαιντο μὴ ἔχοντα τὴν αὑτῶν οἰκείαν ἀρετήν, ἀλλ᾽ ἀντὶ τῆς ἀρετῆς κακίαν; — οὐκοῦν καὶ ὦτα στερόμενα τῆς αὑτῶν ἀρετῆς κακῶς τὸ αὑτῶν ἔργον ἀπεργάσεται; — ἆρ᾽ οὖν ποτε ψυχὴ τὰ αὑτῆς ἔργα εὖ ἀπεργάσεται στερομένη τῆς οἰκείας ἀρετῆς;* Qua ratione nondum definitum esse, quae sit cujusque rei virtus, Socrates ipse fatetur: nam quum Thrasymachus dicat, oculorum virtutem esse visum (*ὄψιν*),

vitium caecitatem (*τυφλότητα*): Socrates negat se id quaerere: *ἥτις αὐτῶν ἡ ἀρετή*, inquit: *οὐ γάρ πω τοῦτο ἐρωτῶ, ἀλλ' εἰ τῇ οἰκείᾳ μὲν ἀρετῇ τὸ αὐτῶν ἔργον εὖ ἐργάσεται τὰ ἐργαζόμενα, κακίᾳ δὲ κακῶς.* Quum autem haec virtutis descriptio non satis adjuvet ad virtutem, si ethicam dicas, accurate definiendam, necdum his verbis indicatum sit, quando animus sua ipsius negotia bene perficere recte dicatur, in quanam agendi ratione ejus virtus consistat, inspiciamus alios locos, ubi Plato virtutis notionem tractat. Id quidem ex hoc jam loco patet, eum, quem virtute praeditum esse dicamus, agere debere, idque bene: sed id non liquet, utrum illum bene agere dicendum sit, qui libidinibus suis obtemperet, qui id quod jucundum est, *τὸ ἡδύ*, sectetur, ut volunt sophistae, *) an qui in agendo id solum, quod bonum est, appetat? Quaenam ratio intercedit inter ejus, quod honestum est, cognitionem atque actionem? Potestne altera sine altera esse, et, si id non est, qua ratione alteram cum altera conjunctam esse cogitandum est? Hae potissimum fuerint quaestiones, quae nobis de virtutis natura considerantibus obversentur: atque ut eas pro parte virili dijudicemus, ad alios nos vertamus Platonis locos.

Praecipue huc attinet Menon. p. 77, ubi Meno Socrati, quid virtus ipsi videatur esse, interroganti respondet, Lyrici alicujus, ut videtur, verbis utens: *ἀρετὴν εἶναι χαίρειν τε καλοῖσι καὶ δύνασθαι*, vel *ἐπιθυμοῦντα τῶν καλῶν δυνατὸν εἶναι πορίζεσθαι.* Virtus igitur in eo consistit, ut pulchra sive bona (nam utrumque hoc loco idem valet, ut saepissime apud Platonem) appetas eaque consequi possis. Sed hanc virtutis definitionem Socrates refellit. Nam si bonum etiam utile esse dicendum sit, sequi, ut nemo non bona appetat: non enim quemquam sibi nocere velle, *οὐδεὶς βούλεται ἄθλιος καὶ κακοδαίμων εἶναι.* Quod si virtus ad voluntatem vel ad boni appetitionem referatur, unicuique virtutem adscribendam esse: hac in re alterum ab altero non differre. Si quis enim malum faciat, eum nescium et invitum malum pro bono eligere. Non igitur in voluntate Plato virtutem ponit, quia persuasum habet, neminem sponte peccare. Ex multis locis,

*) cf. Gorg. p. 492: *τὰς μὲν ἐπιθυμίας φῄς οὐ κολαστέον, ... τοῦτο εἶναι τὴν ἀρετήν;*

Locos huc pertinentes litteris graecis totos, ut par erat, exprimendos curare volui. Sed id non semper potuit fieri propter magnam, quae hac in urbe est, typorum graecorum penuriam. Quare lectores, si sunt, qui ad hanc commentationem animum attendant, rogatos velim, ut ipsi libros evolvant locosque, quos testes adhibui, comparent.

ubi Plato hoc diserte dicit, affero Gorg. p. 509: *ὡμολογήσαμεν μηδένα βουλόμενον ἀδικεῖν, ἀλλ' ἄκοντας τοὺς ἀδικοῦντας πάντας ἀδικεῖν*; Apolog. p. 37: *πέπεισμαι ἐγὼ ἑκὼν εἶναι μηδένα ἀδικεῖν ἀνθρώπων.* Platonis enim de hac re doctrina his verbis comprehenditur: *οὐδεὶς ἑκὼν πονηρός, πᾶς ὁ ἁμαρτάνων ἀγνοῶν ἁμαρτάνει* cf. Protagor. p. 345: *ἐγὼ γὰρ σχεδόν τι οἶμαι . . . ἄκοντες ποιοῦσιν.* — Alteram partem definitionis a Menone prolatae Socrates ita impugnat, ut primum quaerat, num bona sanitatem, divitias, honores esse dicat, deinde, quum Meno id concesserit, demonstret, neminem haec bona possidentem vocari posse honestum, nisi in iis comparandis justum se praestiterit. Non igitur posse dici virtutem facultatem bona comparandi, nisi justitia accedat: justitiam autem esse partem virtutis: ergo hanc virtutis definitionem repudiandam esse. Verum quidem est, Platonem in hac altera definitionis parte non nisi de externis bonis locutum esse. Sine dubio aliter judicasset, si vocem *τὰ ἀγαθά* eodem sensu accepisset, quo alias *καλὸν κἀγαθόν*, i. e. summum bonum, cujus qui participes fieri student, vere honesti appellantur, cf. ea, quae in Phaedone, Symposio, Republica de philosophia dicit. Sed manifestum est, Platonem hoc loco inprimis id spectasse, ut sententias sophistarum refelleret, qui summum bonum in externis bonis, in divitiis, honoribus ponerent, atque eum dicerent honestum, qui talia bona quovis modo sibi comparare posset, cf. Gorg. p. 483, ubi Callicles: *ἡ δέ γε, οἶμαι, φύσις, αὐτὴ ἀποφαίνει αὖ ὅτι δίκαιόν ἐστι τὸν ἀμείνω τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν καὶ τὸν δυνατώτερον τοῦ ἀδυνατωτέρου.*

Postquam igitur Socrates hanc Menonis definitionem rejecit, aliam init viam de virtutis natura disserendi. Primum enim ponit, virtutem esse bonum: bonum autem esse utile. Jam vero omnes res, quae utiles sint, ut sanitatem, robur, divitias, easdem nonnunquam nocere posse, nisi quis prudentia (*ἐπιστήμῃ*) utatur ad eas moderandas. Idem de temperantia, justitia, fortitudine, docilitate, memoria, ceteris animi virtutibus dicendum esse: si quis sine prudentia (*ἄνευ νοῦ*) fortis sit, laedi, sin autem cum prudentia (*σὺν νῷ*), juvari. Inde sequi, ut virtutem, si aliquid sit eorum, quae in animo consistunt, et necessario utilis sit, prudentiam esse oporteat, cf. p. 88: *εἰ ἄρα ἀρετὴ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ . . . . ὠφέλιμα γίγνεται.* Ex his igitur patet, quid praecipue virtuti subesse Plato censeat: est *ἐπιστήμη.* Non dubitat Plato virtutem *ἐπιστήμην* vocare, quum persuasum habeat, hominem sine intelligentia philosophica (ita *ἐπιστήμην* interpretemur) non posse prorsus bene ac recte agere: nam *τὴν ἐπιστήμην* esse omnis humanæ vitae tanquam moderatricem, cf. Euthydem. p. 281: *οὐ μόνον εὐτυχίαν, ἀλλὰ καὶ*

εὐπραγίαν . . . . καὶ πράξει. Atque hanc ob causam Plato idem statuit, virtutem edoceri posse; sed memores simus, quemadmodum nos doctrina imbui Plato dicat: *πᾶσα* enim *μάθησις* Platoni est *ἀνάμνησις*, ita ut homini discenti idea boni, quae in eo ab initio insit, doctrina tanquam resuscitetur. Atque hac ratione illam, quae et in Protagora et in Menone proposita est, quaestionem, num virtus disci possit, diremtam esse censeamus, quamquam in utroque dialogo Plato ipse nobis rem obiter considerantibus idem hoc negare videatur. Nam in Protagora Socrates contra Protagoram disputat profitentem se virtutem edocere, idque fieri non posse variis argumentis demonstrare conatur, cf. Protag. p. 319. Sed hoc tenendum est, virtutem Protagorae non esse virtutem Platonicam. Protagoras tantum abest ut virtutis naturam vere perspexerit, ut fortitudinem inesse dicat in iis saepissime, qui injustissimi sint et maxime impii et intemperantissimi et imprudentissimi, cf. Protag. p. 349: *εὑρήσεις γὰρ πολλοὺς . . . ἀνδρειοτάτους δὲ διαφερόντως.* Socrates autem eum, qui talia de virtutis natura proclamet, virtutem docere posse recte negat. Protagoras profitetur quidem se docere, qua quis ratione et rem familiarem recte curet et negotia publica optime transigat et dicendo et agendo, atque ideo discipulos a se meliores reddi, cf. Protag. p. 318 *): sed apertum est, hanc Protagorae virtutem, quum non nitatur intelligentia vere philosophica (*ἐπιστήμη*), sed inanibus opinionibus (*δόξαις*), ac saepissime id tantum spectet, ut populo quamvis inepta postulanti blandiatur, non esse illam virtutem, quam Plato docere et cum aliis communicare se posse profitetur, de qua agit in Menone p. 87 — 89. Neque quemquam offendent, quae inde ab pag. 89 in Menone sequuntur. Nam ibi et in Protagora p. 319 disserit Plato de illa altera virtute, ut ita dicam, civili, quam omnibus fere usque ad suam aetatem viris rerum civilium peritis attribuendam esse dicit. Hos enim omnes, ait, etiam optime de republica meritos, Themistoclem, Aristidem, Periclem, ad rempublicam accessisse, non intelligentia philosophica praeditos, sed, si Dii adjuverint, rectis opinionibus (*ὀρθαῖς δόξαις*) utentes, atque hanc ob causam saepe quidem verum ac rectum attingentes, saepius autem ab eo aberrantes. Talem quidem artem reipublicae administrandae non posse aliis tradi, sed esse, si cui contigerit, donum Deorum: hos viros, ut vates divinoque furore correptos, divinos

---

*) Protag. p. 318: *τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία . . . . λέγειν.* Ad haec Protagorae verba Socrates respondet: *δοκεῖς μοι λέγειν τὴν πολιτικὴν τέχνην καὶ ὑποσχνεῖσθαι ποιεῖν ἄνδρας ἀγαθοὺς πολίτας.* Quod a Protagora conceditur.

esse dicendos.*). Sed virtutem amplecti atque aliis tradere non posse nisi philosophos: quare Socrates affirmat se fere solum rerum civilium vere gnarum esse, cf. Gorg. p. 521: *οἶμαι μετ' ὀλίγων Ἀθηναίων, ἵνα μὴ εἴπω μόνος, ἐπιχειρεῖν τῇ ὡς ἀληθῶς πολιτικῇ τέχνῃ καὶ πράττειν τὰ πολιτικὰ μόνος τῶν νῦν.* Atque eadem haec est causa, cur Plato solos philosophos idoneos esse dicat, qui rempublicam bene administrent, cf. de Rep. V. p. 473: *ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν . . . οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει*, cf. ea, quae Socrates in libb. VI. VII. de vera philosophia dicit, inprimis quae Adimanto p. 487, philosophos ad rempublicam gerendam prorsus inutiles haberi, monenti respondet. At vero quispiam fortasse miretur, me hoc loco de virtutis natura disserentem ea commemorare, quae a Platone de republica optime administranda dicta sunt. Sed meo jure, puto. Nam apud Platonem, ut ex libris de Republica clarissime patet, virtus singulorum ita pendet a tota reipublicae conditione, ut, nisi, quid de republica dicat, dijudicaveris, non possis de singulorum virtute recte censere: cf. Henning Principien der Ethik in histor. Entwicklung p. 66: „das Princip des griechischen Geistes, in ethischer Form ausgesprochen, ist das der substantiellen Sittlichkeit, das heißt eines solchen Zustandes der Gesinnung, wonach der Einzelne sich noch nicht als einen Mittelpunkt selbstständiger Thätigkeit und particulärer Zwecke für sich, sondern als unmittelbar identisch mit dem Ganzen und Allgemeinen weiß." Quare Plato quum dicit, ad rempublicam bene administrandam idoneos esse solos philosophos, idem censet, virtutem, quae proprie dicatur, non nisi philosophia acquiri. Platoni non minus quam Protagorae virtus est prudentia, quum rei familiaris tum rei publicae bene administrandae; sed hoc est inter utramque discrimen, quod Platonis virtus nititur cognitione vere philosophica, Protagorae non item.

Jam vero reliquum est, ut monstrem, Platoni naturam humanam ita comparatam esse videri, ut si quis rem bene perspexerit, idem eam bene agat. Rem ita Platoni se habere, jam colligi potest ex illis verbis, quae supra ex Euthydemo p. 281 attuli. Atque etiam diserte dicit, vim quandam in animo inesse ad verum amplectendum et ad omnia hujus causa facienda, cf. Phileb. p. 58: *εἴ τις*

*) Menon. p. 96: *οὐκοῦν ἀρετῆς οὐδαμοῦ φαίνονται διδάσκαλοι;* — p. 99: *οὐκοῦν εἰ μὴ ἐπιστήμῃ . . . ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν;* — p. 100: *ἐκ μὲν τοίνυν τούτου τοῦ λογισμοῦ θείᾳ μοίρᾳ . . . παραγίγνεται*, cf. Protag. p. 328: *ἐγὼ γὰρ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ ἡγούμην οὐκ εἶναι ἀνθρωπίνην ἐπιμέλειαν, ᾗ ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ γίγνονται.*

πέφυκε τῆς ψυχῆς ἡμῶν δύναμις ἐρᾶν . . . . κυριωτέραιν ἐκείνη ζητητέον. Protag. p. 352: ἆρ' οὖν καὶ σοὶ τοιοῦτόν τι . . . . βοηθεῖν τῷ ἀνθρώπῳ; Ex his igitur locis id patet, Platoni videri vim esse, quae hominem impellat ad ea, quae perspexerit bona esse, facienda. Atque haec quidem intellectus et vitae consensio Platoni est virtus. Platoni virtutis vis ac natura in eo cernitur, ut homo in omnibus quas faciat rebus rationi obediat. Non tamen homini earum rerum, quae ad peccandum pellicere possint, proelium defugiendum esse: non enim eum, qui proelium non inierit, sed qui vicerit, esse vere honestum, cf. de Legg. I. p. 647: τί δ' ὅταν ἐπιχειρῶμέν τινα φοβερὸν ποιεῖν . . . . ἀπαθῆς ὢν πάντων τῶν τοιούτων; Quae Laches dicit in Lachet. p. 188, ea, quemadmodum Schleiermach. recte monet in iis, quae illi dialogo praemisit p. 324, nos optime docent de virtutis Platonicae natura.*) Nam ab altera quidem parte necesse est intelligentia philosophica pariatur, neque sine intelligentia virtus esse potest; sed ab altera simul parte requiritur, ut omnes hominis facultates cum iis, quae mens postulat, concordent, atque inde tanquam hominis in cogitando et agendo harmonia existat, quae quidem vocatur virtus, cf. Phaedon. p. 93: τῶν οὖν τιθεμένων ψυχὴν ἁρμονίαν εἶναι . . . . καὶ οὐκ ἔχειν ἐν αὐτῇ ἄλλην; Atque ita Platonis de virtute notio congruit fere cum Pythagoreorum notione, qui virtutem harmoniam appellabant, videlicet qua animi perturbationibus temperaremus omnemque vitam ad concinnitatem quandam conformaremus, cf. Diogen. Laert. VIII, 33. Sed hoc tenendum est, apud Platonem virtutis effectricem esse ἐπιστήμην: per hanc efficitur, ut omnes inter se cupiditates et facultates sint congruae atque temperatae. Quocum optime consentiunt, quae in Phaedone hac de re leguntur. Distinguit enim ibi Plato tria virtutis genera: unum est merum simulacrum virtutis, si quis cupiditates coercet, non ratione, sed aliis cupiditatibus commotus; φοβούμενοι γὰρ ἑτέρων ἡδονῶν στερηθῆναι καὶ ἐπιθυμοῦντες ἐκείνων, ἄλλων ἀπέχονται ὑπ' ἄλλων κρατούμενοι.**) Alterum genus est, si quis virtutem, quam temperantiam et justitiam appellant, exercet absque philosophia et mente, ex consuetudine exercitationeque acquisitam. Hanc virtutem nominat Plato civilem (ἀρετὴν δημοτικήν τε καὶ πολιτικήν). Tertium genus est illa vera virtus,

*) Lach. p. 188: ὅταν μὲν γὰρ ἀκούω ἀνδρὸς περὶ ἀρετῆς . . . ἀλλ' ἥ περ μόνη Ἑλληνική ἐστιν ἁρμονία.

**) Has simulatas virtutes postea exagitavit Epicurus, cujus de hoc argumento doctrinam a Cicerone expositam de Finibus I, 10. 14. 15; II, 14. 15. 16 cum hac Socratis disputatione comparare operae pretium est.

cujus solus philosophus est particeps.*) Atque idem hoc virtutis genus Socrates indicat, dicens, justos esse eos, qui ea, quae circa homines legitima sint, sciant, cf. Xenoph. Memor. IV, 6, 6: ὀρθῶς ἂν ποτε ἄρα ὁριζοίμεθα, ὁριζόμενοι δικαίους εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ περὶ τοὺς ἀνθρώπους νόμιμα; Liceat hic addere Aristotelis de hac re sententiam, qui judicat Ethic. Nicomach. VI, 13: Σωκράτης τῇ μὲν ὀρθῶς ἐζήτει, τῇ δ' ἡμάρτανεν· ὅτι μὲν γὰρ φρονήσεις ᾤετο εἶναι πάσας τὰς ἀρετάς, ἡμάρτανεν· ὅτι δ' οὐκ ἄνευ φρονήσεως, καλῶς ἔλεγε.

Ex his igitur, quae dixi, satis apertum erit, quid Platoni de virtute visum sit. Quam etiamsi nusquam satis apte definivit, variis tamen modis luculenter descripsit. Nam si Rep. IV. p. 444 dicit, virtutem esse sanitatem quandam et pulchritudinem et bonam conditionem animi,**) non possumus dicere, nos multum ex hac rei descriptione proficere. Maxime enim interest scire, quomodo haec virtus efficiatur. Id autem aliis locis indicavit, ubi docet, hominem, si ad philosophiam incumbens id quod vere bonum pulchrumque est attingere conetur, idoneum esse ad cupiditates reprimendas: eamque hominis conditionem esse virtutem.

Jam vero ut paucis comprehendam, quae hactenus disputata sunt, Plato non vult, honesti naturam atque vim talem esse, ut aliis aetatibus aliisve hominibus aliud esse possit; honesti fons atque principium neque a sensibus neque ab opinionibus peti potest: inest in honesti natura aliquid stabile: quare honestum in ratione ponitur. Verum quidem est, pueros ab initio ad honeste agendum exemplis parentum, exercitatione, educatione assuefieri; sed hanc esse virtutem minus perfectam; plerosque quidem homines, qui honesti esse videantur, opinionibus solis nitentes, Diis propitiis, honestos se praestare; sed eos vere honestos vocari non posse, atque iis accidere, ut nonnunquam, si Dii faveant, honesta faciant, saepius incidant in vitia. Quapropter opinionibus rejectis Plato aliquid firmi ac certi quaesivit, in quo nitatur virtus: atque id reperisse sibi visus est in idea boni, quam philosophus cognoscere possit, et qua cognita facere non possit, quin ad ideam boni bene cognitam ac penitus perspectam omnem vitam or-

*) Phaed. p. 69: μὴ γὰρ οὐχ αὕτη ᾖ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀπαλλαγή, ἡδονὰς . . . ἡ σωφροσύνη καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἀνδρία καὶ αὐτὴ ἡ φρόνησις μὴ καθαρμός τις ᾖ. — Phaed. p. 82: οἱ τὴν δημοτικήν τε καὶ πολιτικὴν ἀρετὴν . . . ἄνευ φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ.

**) Rep. IV p. 444: ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγίειά τέ . . . τις καὶ ἀσθένεια, cf. Gorg. p. 506: τάξει τεταγμένον καὶ κεκοσμημένον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ ἑκάστου.

diuet ac disponat. Atque ita fieri, ut solos philosophos vere esse honestos dicere possis. Sed nunc venimus ad unum ex difficillimis atque obscurissimis totius doctrinae Platonicae locis, in quo explicando jam tot insignium virorum ingenia versata sunt, ad quaestionem illam, quid sit Platoni idea boni, et qua ratione eam homines cognoscere possint. Ad quam rem dijudicandam et argumentis comprobandam quum longiore opus sit disquisitione, quam mihi de virtutis vi atque natura disserenti hoc loco instituere licet: nunc mihi sufficiat monuisse, mihi quidem videri eos recte judicare, qui ideam boni Platoni esse Deum dicant: hunc cognoscit hominis *νοῦς*; Dei cognitio, quod est proprium philosophi negotium, est *ἐπιστήμη*. Quapropter honestum fieri dicit Plato esse Dei similem fieri, cf. Theaetet. p. 176: *διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. — θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. . . . ἡ μὲν γὰρ τούτου γνῶσις σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή.*

Sequitur, ut de quatuor quae dicuntur cardinales virtutibus disseram, atque quae earum vis apud Platonem fuerit, exponam. Namque Plato, ubicunque de virtute disputat, quatuor ejus partes esse statuit: dicit *φρόνησιν, ἀνδρίαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην*, cf. quem supra attulimus locum ex Phaedon. p. 69; Sympos. p. 169, ubi Agathon Amoris laudes praedicaturus has quatuor ei attribuit virtutes. In primo de Legibus libro p. 631 distinguit Plato bona et humana et divina: illa dicit esse sanitatem, formam, robur, divitias (*ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχὺν εἰς δρόμον καὶ εἰς τὰς ἄλλας πάσας κινήσεις τῷ σώματι, πλοῦτον*), cf. de Legg. II. p. 661; Gorg. p. 451. Quam distributionem ad scolion, quod apud Clement. Alexandr. strom. V. p. 207 Simonidi attribuitur, cf. Athenaeum XV. p. 694, accommodatam esse apparet.*) Divina bona esse dicit sapientiam, temperantiam, justitiam, fortitudinem. Atque hanc distributionem jam Platonis tempore omnibus fere Graecis probatam fuisse atque in communem populi usum abisse verisimile est. Sumta ea videtur esse ex Pythagoreorum doctrina, ut apparet in eorum fragmentis apud Stobaeum Florileg. I. v. c. Theagis p. 8; Metopi p. 7; Cliniae p. 8, cf. Wyttenbach. ad Phaedon. p. 69. Jam vero, ut quam vim in his virtutibus inesse Plato voluerit, perspiciamus, quam rationem ipse in Republica instituit, eandem hoc loco persequamur. Is enim in libris de Republica id potissimum spectat, ut, quid sit justitia, inveniat. Cujus ad vim illustrandam naturam

*) Hoc scolion legitur in poetis lyricis graecis, ed. Bergk p. 874.

animi ita esse comparatam ostendit, ut tres in eo virtutes cernantur, quae ita inter se cohaereant, ut altera ab altera dirimi nequeat. Atque cum iisdem conjunctam esse justitiam. Sed videamus, quibus artibus Plato ad hanc sententiam confirmandam ac comprobandam usus sit.

Ac primum quidem primo de Rep. libro plures justitiae definitiones a Platone impugnantur, deinde libro quarto, quid ipsi de justitia videatur, diserte pronuntiatur. Ac primum quidem hanc justitiae definitionem invenimus, Rep. I. p. 331: Justitiam esse et verum dicere et quae quis acceperit reddere: *ἀληθῆ τε λέγειν καὶ ἃ ἂν λάβῃ τις ἀποδιδόναι.* Hanc justitiae definitionem, quam ab aliqua secta philosophica Platonis tempore, incertum est, a qua, prolatam esse judicamus, cf. Schleiermach. ad h. l., Socrates ita impugnat, ut dicat nonnunquam fieri posse, ut non justum sit verum dicere atque depositum reddere. Si quis enim ab amico sanae mentis arma acceperit, idemque mente captus repetat, non oportere ea reddi, neque justum esse eum qui reddat, vel rursus homini ita affecto vera omnia dicat. Sed contra Polemarchus ad Simonidem Ceum provocat, poetam celeberrimum, Sophistis id temporis egregie probatum*), qui dixerit, justum esse debitum unicuique reddere, *τὸ τὰ ὀφειλόμενα ἑκάστῳ ἀποδιδόναι δίκαιόν ἐστιν.* Jam sequitur longior de hac Simonidis definitione disputatio inter Socratem et Polemarchum. Ac primum quidem Polemarchus censet, Simonidem dicere voluisse, amicis amicos debere bonum facere, inimicis autem esse malum inferendum: justum igitur esse tribuere quod unicuique conveniat. Secundum hoc autem, ait Socrates, justitiam in eo versari, ut amicis utilitas, damnum inimicis afferatur. Quum autem aegrotis medicina maxime prosit, in mari tempestatibus exagitato navigantibus gubernator, Socrates Polemarchum cogit fateri, justum prodesse in impugnando et propugnando, *ἐν τῷ προσπολεμεῖν καὶ ἐν τῷ ξυμμαχεῖν.* In pace autem justitiam praecipue utilem esse ad commercia, *πρὸς τὰ ξυμβόλαια,* atque inprimis ad deponendas pecunias, si quis eas salvas esse cupiat. Ad haec Socrates respondet, justum esse non posse eum, qui nihil faciat nisi ut rem aliquam servet, h. e. eam servet, quando nullus illius usus sit; utilis enim esset ad rem inutilem; imo eum esse rei cujuscunque optimum custodem et servatorem, qui ita eam servet, ut ipsi utilitatem afferat, damnum inimico. Jam vero si justus is est, qui idoneus est ad aliquam rem servandam vel custodien-

---

*) cf. Protag. p. 339; Cicer. de Nat. Deor. I, 22: „Simonides non solum poeta suavis, verum etiam ceteroqui doctus sapiensque traditur“.

dam, is vero exercitum v. c. optime servat, qui hostibus praeripit occasionem nocendi eorumque consilia quasi furatur, clam ea explorans, sequitur, ut quo quis melius aliquam rem servet, eo melior ejus fur sit, ut justitia sit *κλεπτική τις, ἐπ' ὠφελείᾳ μέντοι τῶν φίλων καὶ ἐπὶ βλάβῃ τῶν ἐχθρῶν*, cf. Ast ad h. l. Hac ratiocinatione Socrates Polemarchum ita perturbat, ut quid respondeat non habeat; sed hoc tamen, inquit, adhuc mihi affirmandum esse videtur, justitiam prodesse amicis, inimicis nocere. His omissis Socrates alia ratione Polemarchi definitionem impugnat. Is enim concedit, amicos esse eos, qui utiles et boni esse videantur. Jam vero, inquit Socrates, fieri potest, ut, qui vere utiles et boni sunt, eos tibi inutiles et inimicos habeas, laedas igitur eos, qui vere sunt amici, quasi sint inimici. Atque ut concedatur, semper non nisi malos et inutiles laedi, in eo tamen justitia versari non potest. Nam laedendo malos non reddimus meliores, sed pejores: qui autem alios pejores reddit, non ipse est bonus. Atqui quum justitiam virtutem i. e. aliquid boni esse concessum sit, non potest esse justi quemquam laedere: *οὐκ ἄρα τοῦ δικαίου βλάπτειν ἔργον, οὔτε φίλον οὔτ' ἄλλον οὐδένα, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου, τοῦ ἀδίκου.* Non igitur potest dici justum esse amicis prodesse, nocere inimicis.

Tum vero Thrasymachus Chalcedonius sophista, quem Plato hoc loco hominem inflatum atque impudentem egregie castigat atque irridet, orationem ita vertit, ut dicat, justum nihil aliud esse nisi quod potentiori sit utile: *φημὶ γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον.* Is enim eodem munere hic fungitur, quo in Gorgia Callicles.*) Qui distinguit inter id quod secundum leges et instituta hominum justum est, atque id quod secundum naturam justum est, cf. Gorg. p. 483: *ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν ἥ τε φύσις καὶ ὁ νόμος.* Atque ab iis, qui leges tulerint, propter suam ipsorum infirmitatem, docet, id cautum esse, ne quis reliquis superior potentiam sibi arroget, enuntiantibus, turpe esse injustumque plus aliis habere. Sed natura ita institutum esse, ut melior plus habeat pejore, potentior infirmiore. Placitum igitur talium virorum est: Qui plurimum et opibus et ingenio valet, is reliquorum bonis potiatur iisque im-

*) cf. Schleiermach. ad. Theaetet. introduct. p. 183: Wie im Gorgias offenbar unter der Person des Kallikles vornehmlich Aristippos widerlegt wird, in dessen System der Satz, daß es kein Gerechtes von Natur gebe, sondern nur durch willkührliche Festsetzung, eine bedeutende Stelle einnahm: so wird auch hier in der ersten Hälfte unter der Person des Protagoras überall vornehmlich auf den Aristippos Rücksicht genommen, cf. Theaetet. p. 172. Aristipp. ap. Diog. Laert. II, 93: *μηδέν τε εἶναι φύσει κ. τ. λ.*, Ritt. h. ph. gr. rom. p. 164.

peret. Utut hoc facit, justus est. Audacter dicit Callicles p. 492, oportere illum qui recte vitam acturus sit, permittere cupiditates suas summopere augeri, neque eas ullo modo cohibere: atque his quam maximis quidquid petant subministrare ob fortitudinem atque prudentiam et quemlibet earum affectum prorsus explere: hoc esse natura pulchrum et justum: *τοῦτ' ἐστὶ τὸ κατὰ φύσιν καλὸν καὶ δίκαιον ὅτι δεῖ τὸν ὀρθῶς βιωσόμενον τὰς μὲν ἐπιθυμίας τὰς ἑαυτοῦ ἐᾶν ὡς μεγίστας εἶναι κ. τ. λ.* Eo impudentiae procedit, ut non erubescat affirmare, luxuriam, intemperantiam, omne genus licentiam, dummodo facultas suppetat, esse virtutem et felicitatem: quae autem apud vulgus pro bonis et honestis habeantur, ea, praeter naturam inventa, hominum esse deliramenta et nugas penitus contemnendas; *τρυφὴ καὶ ἀκολασία καὶ ἐλευθερία, ἐὰν ἐπικουρίαν ἔχῃ, τοῦτ' ἐστὶν ἀρετή τε καὶ εὐδαιμονία.* Hanc Calliclis doctrinam Socrates egregie refellit subtiliori disputatione, quam hoc loco accuratius explanare longum est. Sufficiat commemorare, Socratem inquirere, quid intersit inter jucundum (*τὸ ἡδύ*) et bonum (*τὸ ἀγαθόν*): jucundo, nisi accedat bonum, homini non felicitatem parari. Calliclem igitur errare, si eum contendat esse felicem, qui omnibus suis libidinibus satisfaciat.

Eandem fere, quam Callicles, proponit Thrasymachus sententiam inde ab p. 338. Ad quem refellendum Socrates talem init rationem. Quum enim Thrasymachus contenderit, id facere, quod potentes imperitaverint, esse justum; potentes autem imperantes suae ipsorum utilitati prospicere: Socrates monet, potentes nonnunquam errare, ita ut quod ipsis non sit utile imperent; interdum igitur fieri posse, ut justum sit id quod potentioribus inutile sit facere, scilicet si justitia in eo ponenda sit, ut imbecilliores semper id faciant, quod potentiores imperent: *οὐ μόνον ἄρα δίκαιόν ἐστι τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον τὸ μὴ ξυμφέρον.* Contra quod quum Thrasymachus neget quemquam superiorem, dum superior sit, errare posse, aut eum, qui erret, superiorem appellandum esse: Socrates ostendit, in quacunque arte eum qui artem exerceat, non suam ipsius, sed ejus, ad quem artem adhibeat, utilitatem petere: eandem rationem esse debere ejus, qui in republica imperet: *οὐκοῦν οὐδ' ἄλλος οὐδεὶς ἐν οὐδεμιᾷ ἀρχῇ, καθ' ὅσον ἄρχων ἐστί, τὸ αὐτῷ ξυμφέρον σκοπεῖ,* p. 342. Quod Thrasymachus prorsus negat: Socratem stultitiae accusat. Ut pastor oves pinguefaciat non ovium, sed suae ipsius atque domini utilitatis causa: sic potentiorem regnando sibi ipsi consulere. Atque justum ita comparatum esse, ut alienum sit revera bonum, potentioris et imperantis emolumentum, detrimentum autem pro-

prium obedientis et subditi. Injustitiam contra imperare hominibus vere stultis et justis: qui autem pareant, eos facere id quod imperanti conducat, eumque beatum reddere, se autem ipsos non beatos, p. 343. Itaque laudat Thrasymachus injustitiam, quae, ab omnibus partibus absoluta, validior et liberalior et regalior sit quam justitia; justum enim potentiori esse conferens, injustum autem sibi ipsi utile et conferens, τὸ μὲν τοῦ κρείττονος ξυμφέρον τὸ δίκαιον τυγχάνει ὄν, τὸ δ' ἄδικον ἑαυτῷ λυσιτελοῦν τε καὶ ξυμφέρον. Justitiam esse egregiam stultitiam, πάνυ γενναίαν εὐήθειαν, injustitiam prudentiam, εὐβουλίαν; qui valeant absolutam injustitiam exercere, atque civitates nationesque sibi subjicere, eos esse prudentes et bonos: φρόνιμοι καὶ ἀγαθοὶ δοκοῦσιν εἶναι οἱ ἄδικοι, p. 348. Sed Socrates, postquam sagacissime monuit, non recte dici posse pastores, quatenus pastores sint, aliorum nisi ovium utilitatem respicere, negat injustitiam in virtutis et sapientiae loco (ἐν ἀρετῆς καὶ σοφίας μέρει) haberi posse, certe si quis ad reliquas artes respiciat. Musicus enim vir, inquit, lyram temperans, in intensione et remissione chordarum musicum virum exsuperare non vult, neque dignum putat, ut illo plus assequatur. Expertem autem musices superare musicus cupit. Item medicus. Bonus igitur et sapiens non vult plus sibi quam sui similis vindicare: plus tamen quam dissimilis et contrarius. E contrario malus et indoctus tam simili quam dissimili sibi plus arrogat. Eadem ratio est justi et injusti. Justus enim dissimili i. e. injusto plus habere cupit, non plus simili, i. e. justo: injustus autem simili et dissimili i. e. injusto et justo plus habere cupit. Ex his concludit Socrates, justum esse bonum et sapientem, injustum autem indoctum et malum: ὁ μὲν ἄρα δίκαιος ἡμῖν ἀποπέφανται ὢν ἀγαθός τε καὶ σοφός, ὁ δὲ ἄδικος ἀμαθής τε καὶ κακός, p. 350. Tandem Socrates monstrat tantum abesse, ut injustus validus sit, ut sit quam maxime infirmus. Seditiones enim, inimicitias, contentiones injustitia parit: justitia autem concordiam et amicitiam. Quare injustus est infelix, justus felix judicandus.

Haec fere in primo de Republica libro de justitia continentur. Contra Polemarchum Socrates contendit, sibi non sufficere justitiam ad pacta quaedam referre: justitiam non pendere ab actionibus antecedentibus, sed esse, ut ita dicam, principale quiddam.*) Nec referre, amicusne sit an inimicus, in quem justus

*) Schleiermach. ad p. 331: Sokrates sucht die Vorstellung aus dem Wege zu räumen, daß die Gerechtigkeit durch frühere Handlungen bedingt sein müsse, und nichts ursprüngliches sei, cf. Epicur. ap. Diogen. Laert. X, 150: τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ

consulat. Contra Thrasymachum autem Socrates ostendit, justum non esse id, quod potentiori conducat: vitam injusti, quippe qui omnibus suis cupiditatibus libere indulgere calleat, ac ceteros homines suo imperio subjiciat, non esse beatam praedicandam.

Sed Thrasymacho ad silentium redacto Socrates fatetur, sibi ipsi nondum sufficere quae de justitia dixerit: necdum enim se invenisse, quid sit justitia, cf. in Rep. libr. I. extr.: ὁπότε γὰρ τὸ δίκαιον μὴ οἶδα ὅ ἐστι, σχολῇ εἴσομαι εἴτε ἀρετή τις οὖσα τυγχάνει εἴτε καὶ οὔ, καὶ πότερον ὁ ἔχων αὐτὸ οὐκ εὐδαίμων ἐστὶν ἢ εὐδαίμων. Itaque Socrates inde ab libro II. accedit propius ad hoc munus fungendum. Quo autem magis eluceat, quid in hac re praestandum sit, Glauco et Adimantus splendide et ornate describunt in initio ejus libri, qualis vita et viri justi, qui prorsus injustitiae specie indutus sit, quem Diis amicum esse ab iisque praemia accipere non commemoremus, et injusti, quem injustitiam suam ab ceteris occultare posse, omnibusque justum videri dicamus, appareat.

Tum vero Socrates incipit suam de justitia sententiam proferre, atque hanc quidem init viam, ut primum indicet, qualis sit justitia totius civitatis, deinde, qualis singulorum hominum. Facilius enim justitiam conspici posse in civitate, quippe quae major sit, quam in singulis hominibus, cf. de Rep. II. p. 369: ἴσως πλείων ἂν δικαιοσύνη ἐν τῷ μείζονι ἐνείη καὶ ῥᾴων καταμαθεῖν. — πρῶτον ἐν ταῖς πόλεσι ζητήσωμεν ποῖόν τί ἐστιν, ἔπειτα οὕτως ἐπισκεψώμεθα καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ, τὴν τοῦ μείζονος ὁμοιότητα ἐν τῇ τοῦ ἐλάττονος ἰδέᾳ ἐπισκοποῦντες. Atque disquisitionis hac ratione instituendae etiam alia, quamquam Plato hoc loco non disertis verbis indicavit, causa mihi accedere videtur, quam jam supra commemoravi. Quum enim apud veteres tota virtus in republica posita sit, atque ita quidem, ut Plato adeo societatem familiarum commodi publici causa dissolvi vellit, optimum est, priusquam virtus singulorum describatur, ejus imaginem in civitate conspicuam depingere.

Socrates igitur postquam imaginem perfectae civitatis adumbravit, inde ab libro IV. p. 427 inquirit, quae virtus in singulis civitatis ordinibus conspiciatur. Distribuit enim omnem civitatem in tres ordines: γένος βουλευτικόν s. φυλακικόν, ἐπικουρικόν, χρηματιστικόν. Primo ordini, custodibus civitatis, τοῖς φύλαξι, quorum sit reipublicae praeesse, competere sapientiam. Eos illius scientiae parti-

---

συμφέροντος εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι, cf. Ritt. h. ph. gr. rom. p. 339.

cipes esse debere, quam prae ceteris sapientiam vocari deceat: *τούτῳ τῷ γένει προσήκει ταύτης τῆς ἐπιστήμης μεταλαγχάνειν, ἣν μόνην δεῖ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν σοφίαν καλεῖσθαι*, p. 429. Haec sapientia non ad singularum artium scientiam pertinet, qua opifices, artifices utuntur, sed in universa civitate moderanda cernitur: *ἔστι τις ἐπιστήμη ἐν τῇ ἄρτι ὑφ᾽ ἡμῶν οἰκισθείσῃ παρά τισι τῶν πολιτῶν, ἣ οὐχ ὑπὲρ τῶν ἐν τῇ πόλει τινὸς βουλεύεται, ἀλλ᾽ ὑπὲρ αὐτῆς ὅλης, ὅντινα τρόπον αὐτή τε πρὸς αὑτὴν καὶ πρὸς τὰς ἄλλας πόλεις ἄριστα ὁμιλοίη.* Alterum genus est *τὸ ἐπικουρικόν*, civitatis propugnatores, quorum est, de iis quae horrenda sunt eam opinionem conservare, quam legislator in educatione pronuntiavit. Virtus eorum est *ἀνδρία*, fortitudo. Ut igitur propugnatores pendent ab iis, qui regnant, sic nititur fortitudo in sapientia, *σοφία*, quam Plato simul *τὴν φρόνησιν* vocat, etiam *τὸν ἀληθῆ λόγον*, de Legg. I. p. 645; cf. de Rep. p. 430: *δοκεῖς μοι τὴν ὀρθὴν δόξαν περὶ τῶν αὐτῶν τούτων ἄνευ παιδείας γεγονυῖαν, τήν τε θηριώδη καὶ ἀνδραποδώδη, οὔτε πάνυ νόμιμον ἡγεῖσθαι ἄλλο τέ τι ἢ ἀνδρίαν καλεῖν.* Hi priores ordines sunt praestantiores atque dominantes; iis oppositi sunt reliqui homines, quos Plato nomine *γένους χρηματιστικοῦ* complectitur. Iis non propriam virtutem adscribendam esse, sed omne genus cupiditatum atque libidinum: ad quas opprimendas si in civitate meliores cives, *φύλακες* et *ἐπίκουροι*, vere regnent, tertii ordinis cives regi se patiantur, per civitatem temperantiam, *σωφροσύνην*, dominari dici posse. Haec igitur virtus omnium est communis, non, ut sapientia et fortitudo, singulorum tantum ordinum: atque in eo versatur, ut et inter pejorem et meliorem partem et totius civitatis et cujusque hominis conveniat, utram dominari deceat: *ὀρθότατ᾽ ἂν φαῖμεν ταύτην τὴν ὁμόνοιαν σωφροσύνην εἶναι, χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν ξυμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ.**) Jam sequitur quartum virtutis genus: haec est justitia. Audacter Plato quod virtutis praeter sapientiam, fortitudinem, temperantiam in civitate inveniatur, esse justitiam dicit, quamquam non ostendit, his quatuor generibus totam virtutem contineri, p. 432: *τὸ δὲ δὴ λοιπὸν εἶδος, δι᾽ ὃ ἂν ἔτι ἀρετῆς μετέχοι πόλις, τί ποτ᾽ ἂν εἴη; δῆλον γὰρ ὅτι τοῦτό ἐστιν ἡ δικαιοσύνη.* Nam illa vir-

*) Falso hac de re judicat Ritter in hist. ph. gr. rom. p. 222, qui dicit: „Sapientia et fortitudo et constantia pertinent ad tres animi partes particulares recte excultas, justitia vero ad universum animum,“ cf. de Rep. IV. p. 431: *ἐν ποτέροις οὖν φήσεις τῶν πολιτῶν τὸ σωφρονεῖν ἐνεῖναι, ἐν τοῖς ἄρχουσιν ἢ ἐν τοῖς ἀρχομένοις; Ἐν ἀμφοτέροις που, ἔφη.*

tutis in quatuor partes distributione, quam ex communi populi usu Platonem in suum usum vertisse supra diximus, recepta Platoni justitia in eo posita est, ut suum quisque faciat; *τοῦτο τοίνυν κινδυνεύει τρόπον τινὰ γιγνόμενον ἡ δικαιοσύνη εἶναι, τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν*. Eorum, qui rempublicam gubernant, est sapientes se praebere, propugnatorum, se praebere fortes: iidem appellantur justi, quum nihil aliud agunt, nisi ut et sapienter rempublicam moderentur, et fortiter instituta ac leges ejus defendant, prout suum cuique est munus; cives tertii ordinis, *γένος χρηματιστικόν*, justos se praestant, quum sua quisque negotia gerunt, neque se obtrudunt reipublicae administrandae aut defendendae: *ἕνα ἕκαστον ἓν δεῖ ἐπιτηδεύειν τῶν περὶ τὴν πόλιν, εἰς ὃ αὐτοῦ ἡ φύσις ἐπιτηδειοτάτη πεφυκυῖά ἐστιν. τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνη ἐστίν*; cf. de Rep. I. p. 353: *νῦν δή, οἶμαι, ἄμεινον ἂν μάθοις ὃ ἄρτι ἠρώτων, πυνθανόμενος εἰ οὐ τοῦτο ἑκάστου εἴη ἔργον, ὃ ἂν ἢ μόνον τι ἢ κάλλιστα τῶν ἄλλων ἀπεργάζηται.* Justitia igitur reliquas virtutes tanquam continet atque per omnes perfusa est: justitia, quatenus ipsa adest, et temperantiae et fortitudini et sapientiae vim praebet, qua et innascantur et innatae perseverent: *δοκεῖ μοι τὸ ὑπόλοιπον ἐν τῇ πόλει ὧν ἐσκέμμεθα, σωφροσύνης καὶ ἀνδρίας καὶ φρονήσεως, τοῦτο εἶναι ὃ πᾶσιν ἐκείνοις τὴν δύναμιν παρέσχεν ὥστε ἐγγενέσθαι, καὶ ἐγγενομένοις γε σωτηρίαν παρέχειν, ἕωσπερ ἂν ἐνῇ.* Quod igitur Platoni in civitate justitiam efficere videtur, id his verbis comprehendit: *χρηματιστικοῦ, ἐπικουρικοῦ, φυλακικοῦ γένους οἰκειοπραγία, ἑκάστου τούτων τὸ ἑαυτοῦ πράττοντος ἐν πόλει, τοὐναντίον ἐκείνου* (*τῆς πολυπραγμοσύνης* civitati perniciosissimae) *δικαιοσύνη τ' ἂν εἴη καὶ τὴν πόλιν δικαίαν παρέχοι.* Jam vero Plato hanc descriptionem virtutum ad singulos animos adhibet, eamque, si ab singulorum animorum conditione non aliena esse videatur, rectam esse statuit.

Animum autem, ut civitatem, in tres partes distribuit: dicit *τὸ ἐπιθυμητικόν, τὸ θυμοειδές, τὸ σοφόν* s. *τὸ λογιστικόν*. Necesse esse, has facultates unicuique esse innatas, quum et in civitate inveniantur, neque cogitari possint a civitatibus in singulorum animos influxisse, sed vice versa. Id esse facile intellectu.*) Sed

*) Memoratu est dignum, quomodo Plato hoc loco in aliis gentibus alias animi facultates prae ceteris excultas esse atque dominari animadvertat: sic apud Thraces et Scythas *τὸ θυμοειδές*, apud Graecos *τὸ φιλομαθές* i. e. *τὸ λογιστικόν*, apud Phoenices et Aegyptios *τὸ φιλοχρήματον* i. e. *τὸ ἐπιθυμητικὸν* inprimis conspici, cf. Dionys. art. rhetoric. XI, 5: *καὶ γὰρ ὁ Πλάτων φησὶ παγκάλως, ὅτι κατὰ τοὺς τοῦ οὐρανοῦ τόπους καὶ τῶν ἠθῶν αἱ κράσεις.*

difficiliorem existere quaestionem, utrum trium animi partium alia aliud faciamus, ita ut una discamus, alia irascamur, concupiscamus tertia: an toto animo unum quidque perficiamus, si quid aggrediamur: *τόδε δὲ ἤδη χαλεπόν, εἰ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἕκαστα πράττομεν, ἢ τρισὶν οὖσιν ἄλλο ἄλλῳ. μανθάνομεν μὲν ἑτέρῳ, θυμούμεθα δὲ ἄλλῳ τῶν ἐν ἡμῖν, ἐπιθυμοῦμεν δ' αὖ τρίτῳ τινὶ τῶν περὶ τὴν τροφήν τε καὶ γέννησιν ἡδονῶν, καὶ ὅσα τούτων ἀδελφά, ἢ ὅλῃ τῇ ψυχῇ καθ' ἕκαστον αὐτῶν πράττομεν, ὅταν ὁρμήσωμεν*, p. 436. Jam sequuntur plura placita, quae, quum de iis jam in Parmenide, Euthydemo, aliis fusius disputatum sit, hoc loco paucis tantum persequitur. Primum est, idem contraria facere seu pati secundum idem et ad idem non posse. Quamobrem, inquit, si quando in ipsis haec fieri reperiemus, intelligemus, non unum idem haec esse, sed plura, *δῆλον, ὅτι ταὐτὸν τἀναντία ποιεῖν ἢ πάσχειν κατὰ ταὐτόν γε καὶ πρὸς ταὐτὸν οὐκ ἐθελήσει ἅμα, ὥστε ἐάν που εὑρίσκωμεν ἐν αὐτοῖς ταῦτα γιγνόμενα, εἰσόμεθα ὅτι οὐ ταὐτὸν ἦν ἀλλὰ πλείω*, p. 436. Sic idem non quidquam appetere eodemque tempore repellere posse. Alterum placitum est: Ipsa cupiditas quaeque ipsius cujusque est solum, cujus ipsa natura est; talis autem vel talis cujusdam propter additamenta quaedam dicitur: *αὐτή γε ἡ ἐπιθυμία ἑκάστη αὐτοῦ μόνον ἑκάστου οὗ πέφυκε, τοῦ δὲ τοίου ἢ τοίου τὰ προσγιγνόμενα*, p. 437. Sitientis igitur animum, quatenus sitiat, non aliud cupere nisi bibere, idque appetere et ad id ferri: *τοῦ διψῶντος ἄρα ἡ ψυχὴ καθ' ὅσον διψῇ, οὐκ ἄλλο τι βούλεται ἢ πιεῖν καὶ τούτου ὀρέγεται καὶ ἐπὶ τοῦτο ὁρμᾷ*. In hoc conspici *τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς*. Atqui videmus, inesse in animo, quod nonnunquam sitientem et bibere cupientem a bibendo repellat: hoc non posse ipsum *τὸ ἐπιθυμητικόν* esse, sed esse *τὸ λογιστικόν*. Itaque duo genera in animo distinguenda sunt: *τὸ ἐπιθυμητικόν* et *τὸ λογιστικόν* s. *τὸ σοφόν*. Accedit ad haec *τὸ θυμοειδές*, quod semper, Plato contendit, si inter cupiditates et rationem discordia exorta sit, cum ratione ita consociatum esse, ut contra cupiditates ea, quae ratio jubeat, perficere conetur, cf. quae Schleiermach. contra monet in introductione p. 29.*)

---

*) Schleierm. p. 29; Es erscheint ziemlich willkührlich als ein allgemeiner Erfahrungssatz angenommen, daß das Eiferartige, wenn auch nicht immer mit der Vernunft, doch wenigstens niemals mit den Begierden sich verbinde. Vielmehr findet sich dieses Verderben in dem Ehrtriebe sowohl als der Schaam, wenn sie einer falschen Meinung folgen, welche die angeschwellten Begierden lobt und die Aussprüche der Vernunft herabsetzt; und grade was Platon mit so gerechtem Eifer im Gorgias und im Eingange dieses Werks gegen den Thrasymachus bestreitet, könnte sich ohne ein solches Bündniß nicht so breit und geltend gemacht haben.

Animo igitur in tres partes diviso, Plato addit, singulorum sapientiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam eandem vim habere, quae in civitatibus conspiciatur. Justitiam etiam singulorum in ea versari, ut, quidquid in unoquoque sit, suum opus exequatur, tam ad imperandum quam ad parendum, p. 443: *ὅτι αὐτοῦ τῶν ἐν αὐτῷ ἕκαστον τὰ αὑτοῦ πράττει ἀρχῆς τε πέρι καὶ τοῦ ἄρχεσθαι.* Atque quum omnes virtutes ad unum idemque tendant, ad id scilicet, quod *τὸ λογιστικὸν* jubet, Plato dicere potest, unam tantum esse speciem virtutis: *ἓν μὲν εἶναι εἶδος τῆς ἀρετῆς*, p. 445; innumeras autem esse species pravitatis, *ἄπειρα τῆς κακίας*, cf. de Legg. I. p. 645, ubi ad eandem hanc rem illustrandam imagine utitur. Nemo potest sapiens esse, idemque intemperans aut ignavus aut injustus. Quisquis honestus est, haec omnia quatuor virtutis genera in se habet expressa. Sed quatenus quidquid facit ratione ac mente moderatur, sapiens dicitur; quatenus libidines oppugnat atque, ut ratio jubet, opprimit, vocatur fortis; quatenus libidines in eo sibi patiuntur imperari a ratione, temperantia ei est adscribenda; justus appellatur homo, quatenus singulae animi partes ea tantum peragunt, ac facienda suscipiunt, quae cujusque partis naturae atque officio sunt consentanea. Comparat Plato eodem nostro loco virtutem cum harmonia: ejus termini justitia contemperantur. In eo autem praecipue discrepat ab iis, qui ante eum de justitia disseruerunt, quod ipse justitiam ab externis actionibus prorsus revocat, atque ei in interiore homine sedem dat: est ei justitia principale quiddam, non ad externas res referenda: *ἡ δικαιοσύνη οὐ περὶ τὴν ἔξω πρᾶξιν τῶν αὑτοῦ, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς, περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ μὴ ἐάσαντα τἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὑτῷ μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη.* Fatetur quidem, in iis, quae in primo libro propositae sunt, definitionibus, excepta Thrasymachi definitione, aliquid veri inesse. „Justus, inquit, quum depositum auri vel argenti acceperit, nunquam fraudem excogitabit, sacrilegiorum, furtorum, proditionum, tam privatim adversus sodales quam publice adversus civitatem innocens erit; neque infidus erit aut in jure jurando aut in quibuscunque commerciis; adulteria, parentum contemtus, impietas in Deos ab eo prorsus aliena erunt.“ Sed illis definitionibus intimam justitiae naturam tactam esse negat.

Quapropter mireris, Diogenem Laertium Platoni, quamquam, si quo de alio loco, de justitia disertissime disseruit, illam justitiae definitionem primo de Republica libro impugnatam adscripsisse. Dicit enim, Platoni justitiam esse *αἰτίαν τοῦ ἐν ταῖς κοινωνίαις καὶ τοῖς συναλλάγμασι δικαιοπραγεῖν.* Praeclaro hoc documento est, quam leviter ille vir saepius de philosophorum placitis egerit.

Melius Platonis de justitia sententia expressa est in definitionibus, ubi legimus: *δικαιοσύνη ὁμόνοια τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτήν, καὶ εὐταξία τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν πρὸς ἄλληλά τε καὶ περὶ ἄλληλα.* Quae ibi reliquae justitiae definitiones sunt additae, quamquam Platonis sententiae non prorsus contrariae sunt, tamen ex parte ex aliis scriptoribus desumtae esse videntur. Dicitur enim justitia esse *ἕξις διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ. ἕξις καθ' ἣν ὁ ἔχων προαιρετικός ἐστι τῶν φαινομένων αὐτῷ δικαίων. ἕξις ἐν βίῳ νόμου ὑπήκοος. ἰσότης κοινωνική. ἕξις ὑπηρετικὴ ὀρθῶν νόμων*, cf. Aristotel. Ethic. Nic. V. 4—6.

Justitia hominis et ad homines et ad Deos respicit Sed interdum Plato justitiam ita describit, ut eum, qui ad homines faciat ea quae deceant, *δίκαιον* appellet, eum, qui ad Deos talia faciat, *ὅσιον*, cf. Gorg. p. 507: *καὶ μὴν περὶ μὲν ἀνθρώπους τὰ προσήκοντα πράττων δίκαι' ἂν πράττοι, περὶ δὲ θεοὺς ὅσια. τὸν δὲ τὰ δίκαια καὶ ὅσια πράττοντα ἀνάγκη δίκαιον καὶ ὅσιον εἶναι.* Diogenes Laertius Platoni tres justitiae species adscribit: earum unam ad homines, alteram ad Deos, tertiam ad mortuos pertinere: *τῆς δὲ δικαιοσύνης ἐστὶν εἴδη τρία. ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστι περὶ θεούς. ἡ δὲ περὶ ἀνθρώπους. ἡ δὲ περὶ τοὺς ἀποιχομένους.*

Respicientibus nobis ad ea, quae hactenus disputata sunt, videantur sibi repugnare, quae in priori hujus commentationis parte Platonem de virtutis vi atque natura docuisse diximus et quae in posteriori parte. Supra enim affirmavimus, Platoni omnem virtutem in sapientia niti, in intelligentia philosophica, ad eamque sententiam comprobandam plures locos attulimus. Nunc autem ex iis, quae in Republica legimus, sequi videtur, ut omnis virtus Platoni non minus in justitia quam in sapientia posita sit. Dicit enim, justitiam esse eam vim, quae efficiat, ut sapientia, fortitudo atque temperantia et nascantur et serventur, cf. de Rep. p. 433. Itaque Plato modo sapientiam, modo justitiam ponere videtur, a qua reliquae pendeant virtutes. Neque possumus negare, premi nos in hoc loco explicando quibusdam difficultatibus: non tamen iis, puto, ex quibus te expedire nequeas. Atque ad has difficultates, quantum potero, dissolvendas propius accedam, inprimis Schleiermachero, sagacissimo Platonis interprete, duce. Is enim jam optime in iis, quae libris de Republica praemisit, p. 25 seqq., quid hac de re judicandum sit, indicavit.

Plato omnem virtutem in quatuor partes distribuit. Sed cave putes, Platonem dicere voluisse, alteram virtutis partem ab altera sejungi posse, quasi quis fortis esse possit, sapientia non conjuncta: quod ut fieri possit, tantum abest, ut

omnes virtutis partes, quamvis variae sint, ad unum idemque tendant, uno communi vinculo contineantur. Praeterea illud ubivis docuit, ut animo rationem, ita virtuti sapientiam esse legem, ad quam honestus vir vitam ordinet. Quo autem modo fit, ut ad rationis ac sapientiae leges nos accommodemus? Dixerit quispiam, tantam inesse vim in ratione ac sapientia, ut homo cogatur per se ea, quae recte intellexerit ac perspexerit, perficere: causam peccandi singulis hominibus in nulla alia re nisi in ipsorum rationis ac sapientiae imbecillitate esse quaerendam, ut, qui peccet, non satis intellexisse dicatur: atque id a Platone cum alias tum in iis locis, quos supra ex Euthydemo, Philebo, Protagora commemoravi, factum esse persuasum habeo. Sed in libris de Republica Platonem aliquatenus ad aliam hujus rei describendae rationem deflexisse fatemur. Ibi enim optimam reipublicae formam depingere instituit: tres civium ordines esse vult: etiam in civitate sapientia primi ordinis est suprema lex, secundum quam reliqui ordines regantur et tota civitas administretur. Sed fieri non poterat, ut Graecus homo reliquos cives nihil aliud facere debere diceret, nisi ut obedirent, non suo ipsorum judicio quodammodo nitentes. Quod quum a Graecis moribus prorsus alienum esset, Plato, quantumvis ejus animus eo inclinaret, ut civitatis salutem in paucorum virorum sapientia, non in vulgi levibus opinionibus niti persuasum haberet et quacunque ratione posset confirmaret, rem ita instituit, ut ad civitatis commoda non solum sapientium virorum prudentiam, sed etiam aliquatenus liberum tertii ordinis arbitrium conferre diceret. Quamobrem quamquam tertii ordinis cives tam parvi aestimavit, ut eorum propriam virtutem esse negaret, illud tamen iis concessit, ut temperantiam in civitate cerni diceret, si tertii ordinis cives a civitatis custodibus sibi imperari sua sponte paterentur. Jam vero postquam, quae ratio inter singulos civitatis ordines intercederet, descripsit, omnium virtutes, quae communi quodam vinculo uterentur, complexus est dicendo, universam civitatem optime se habere, si suum quisque in ea faceret. Atque ita factum est, ut justitia sit Platoni universale aliquid, quo reliquae virtutis partes contineantur, cf. Hegel de philosoph. histor. praelectt. vol. II. p. 283: „Der Begriff der Gerechtigkeit ist die Grundlage, die Idee des Ganzen, welches so in sich organisch getheilt ist, daß jeder Theil nur als Moment im Ganzen ist, und das Ganze durch ihn ist; so daß an diesem jene Stände oder Eigenschaften nur eben die Momente sind. Die Gerechtigkeit nur ist dies Allgemeine, Durchbringende — das Fürsichsein jedes Theils, den der Staat für sich gewähren läßt.“ Atque hanc optimae civitatis describendae rationem egregiam ac praeclaro Platonis ingenio dignissimam esse, facile conces-

seris. Sed non dubito assentiri Schleiermachero dicenti, Platonem ab universa civitate ad animum singulorum transeuntem non omnes difficultates, in quas hac via non incidere difficillimum erat, effugisse. Nam etiamsi concedas, justitiam recte quasi fundamentum omnium virtutum dici, quum etiam animus singulorum optima utatur conditione, si intra suos quaeque ejus pars terminos maneat, eo tamen Plato videtur delapsus esse, ut rationi ac sapientiae in moderando animo minus tribuat quam decet atque ipse fecit cum in aliis scriptis tum in ipsis de Republica libris, cf. de Rep. VII. p. 518: *αἱ μὲν τοίνυν ἄλλαι ἀρεταὶ καλούμεναι ψυχῆς κινδυνεύουσιν ἐγγύς τι εἶναι τῶν τοῦ σώματος· τῷ ὄντι γὰρ οὐκ ἐνοῦσαι πρότερον ὕστερον ἐμποιεῖσθαι ἔθεσί τε καὶ ἀσκήσεσιν. ἡ δὲ τοῦ φρονῆσαι παντὸς μᾶλλον θειοτέρου τινὸς τυγχάνει, ὡς ἔοικεν, οὖσα, ὃ τὴν μὲν δύναμιν οὐδέποτε ἀπόλλυσιν, ὑπὸ δὲ τῆς περιαγωγῆς χρήσιμόν τε καὶ ὠφέλιμον καὶ ἄχρηστον αὖ καὶ βλαβερὸν γίγνεται.* Atque hoc ipse Plato sensisse videtur, quum dicat de Rep. IV. p. 435: *καὶ εὖ γ' ἴσθι, ὡς ἡ ἐμὴ δόξα, ἀκριβῶς μὲν τοῦτο ἐκ τοιούτων μεθόδων, οἵαις νῦν ἐν τοῖς λόγοις χρώμεθα, οὐ μή ποτε λάβωμεν. ἀλλὰ γὰρ μακροτέρα καὶ πλείων ὁδὸς ἡ ἐπὶ τοῦτο ἄγουσα.* Juvat ex Schleiermacheri in libros de Republica introductione exscribere, quae ad hanc rem potissimum pertineant. „In Bezug auf die einzelne Seele, inquit, würden wir nach unserer Denkungsart die Weisheit als einzige Tugend aufstellen, und wenn die sinnlichen Begierden noch so unmäßig emporwüchsen, die Schuld davon lieber in der Schwachheit des vernünftigen Theiles suchen, als daß wir jenem untergeordneten Vermögen einen eigenthümlichen Antheil an der Sittlichkeit beilegten. Und aus demselben Grunde würden wir schon gegen die vorangeschickte Erklärung der Besonnenheit Einspruch einlegen, indem die Formel einer freien Zusammenstimmung aller Theile der Seele in Beziehung auf das Regiment mehr einer ästhetischen als einer streng wissenschaftlichen Behandlung des Sittlichen angemessen ist. Und doch ist diese pythagorisirende Ansicht, die Tugend als Harmonie zu denken, welche erst dadurch in ihrer Vollendung erscheint, daß die Besonnenheit, als freie Zusammenstimmung der niederen Vermögen mit den höhern höher gestellt wird als die Mäßigung, die nur eine von der Vernunft errungene Gewalt über die Anmaßung der niedern Vermögen ist, diese Ansicht, welche von uns in einem vorzüglichen Sinne als heidnisch bezeichnet werden muß, ist doch nur zu sehr der Schlüssel des ganzen Werks, und hängt mit allem auf das genaueste zusammen, was uns darin am meisten zurückschreckt, ja uns ganz verwerflich und frevelhaft erscheint. — Wenn es nun freilich im Staat, zumal ein Hellene sich nicht leicht einen solchen als eine Mischung aus zwei ganz ungleichartigen Massen denken konnte, zu aristokratisch gewesen wäre, der größten Masse des Volkes die

bürgerliche Tugend ganz abzusprechen, bei der Anwendung auf die Seele aber hieraus eine auch die wesentlichsten Unterschiede zerstörende Gleichmacherei entstehen muß: so sieht man, wie das Verfahren bei Betrachtung der Tugend den Staat als das größere zum Grunde zu legen, wie sinnreich es auch bevorwortet und wie kunstreich es durchgeführt sei, doch nicht ohne Gefahr ist, und wie auch der größte Geist bei einer wissenschaftlichen Construction nicht ungestraft das Gesetz der Einfachheit verletzt. — Doch die Kritik über diese Gegenstände wird fast entwaffnet durch die nicht zu übersehende sehr bedeutende Äußerung, daß eine recht genaue und gründliche Erkenntniß von der Seele bei diesem Verfahren nicht zu erlangen sei."

Ceterum ex hac virtutum descriptione apparet, Platoni primarias virtutes fuisse sapientiam et justitiam: quare earum utraque saepius per se sola honestatem in universum indicat. Vere honestus homo Platoni solus est philosophus, qui particeps est *τῆς ἐπιστήμης*, in quo prae ceteris *ὁ νοῦς* dominatur. Eodem modo justitia hominem vere honestum efficit, atque justitia pro universa virtute ponitur. Saepissime autem justitia et temperantia conjunctae omnem virtutis vim explent. Falso judicavit Hoffmeister, qui in programmate scholastico, quod conscripsit a. 1827, dicit, nonnunquam *σωφροσύνην* a Platone mulieri rem familiarem administranti, *δικαιοσύνην* viro rempublicam moderanti attribui. Interpretatur ita Menon. p. 73, ubi Socrates, postquam, viri esse virtutem rempublicam, mulieris rem familiarem bene administare, dixit, pergit: *ἆρ' οὖν οἷόν τε εὖ διοικεῖν ἢ πόλιν ἢ οἰκίαν ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, μὴ σωφρόνως καὶ δικαίως διοικοῦντα;* Sed ut concedam, hoc loco viro aliam virtutem adscribi, aliam mulieri, jam verborum collocatio, opinor, non admittit eam, quam Hoffmeister proposuit, interpretationem. Nam si hujus viri ratio ineunda esset, cogeremur temperantiam ad virum, ad mulierem justitiam referre. Huc accedit, quod Socrates paullo post addit: *τῶν αὐτῶν ἄρα ἀμφότεροι δέονται, εἴπερ μέλλουσιν ἀγαθοὶ εἶναι, καὶ ἡ γυνὴ καὶ ὁ ἀνήρ, δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης.* Unde patet, Platonem velle, iisdem virtutibus et mulieri et viro, non alteri altera, opus esse. Quod idem postea dicit de pueris et senibus. An putare possumus, puerorum propriam virtutem esse temperantiam, senum justitiam? Quare Hoffmeisteri sententia repudianda est, neque minus interpretatio loci, quem legimus Sympos. p. 209: *πολὺ δὲ μεγίστη, ἔφη, καὶ καλλίστη τῆς φρονήσεως ἡ περὶ τὰς τῶν πόλεών τε καὶ οἰκήσεων διακοσμήσεις, ᾗ δὴ ὄνομά ἐστι σωφροσύνη τε καὶ δικαιοσύνη.* Etiam hoc loco, si Hoffmeisterum sequeremur, adduceremur ut diceremus, temperantiam in republica, justitiam in re familiari moderanda cerni. — In Gorgia p. 504 seqq. Plato ubi contra sophistas, qui, ut jucundum, *τὸ ἡδύ*, sectentur, vulgi cupiditatibus blandiantur, contendit, summum oratoris, qui populum recte ducere et ad virtutem conformare velit, esse officium, ut cupiditates libidinesque coerceat, temperantiae, *τῇ σωφροσύνῃ*, primum dat virtutis locum. Et recte quidem. Nam hic agit de cupiditatibus refringendis: qua in re potissimum temperantia cernitur: cui oppositum est vitium *ἀκολασία*. Sed ut quaeque virtus, si vera est, secum habet conjunctas reliquas, a reliquis dirimi non potest: sic eodem hoc loco p. 507 addit, temperantem simul esse justum et fortem et pium: *ὥστε πολλὴ ἀνάγκη, τὸν σώφρονα, ὥσπερ δι-*

ἤλθομεν, δίκαιον ὄντα καὶ ἀνδρεῖον καὶ ὅσιον ἀγαθὸν ἄνδρα εἶναι τελέως, τὸν δὲ ἀγαθὸν εὖ τε καὶ καλῶς πράττειν ἃ ἂν πράττῃ. Neque hoc loco *τὴν ἐπιστήμην* omisit, quamquam non verbo expressit; nam paullo ante dixit: *ἀλλὰ μὲν δὴ ἥ γε ἀρετὴ ἑκάστου, καὶ σκεύους καὶ σώματος καὶ ψυχῆς αὖ καὶ ζώου παντός, οὐχ οὕτως εἰκῇ κάλλιστα παραγίγνεται, ἀλλὰ τάξει καὶ ὀρθότητι καὶ τέχνῃ, ἥ τις ἑκάστῳ ἀποδέδοται αὐτῶν.* Verbis *εἰκῇ, τάξει, ὀρθότητι, τέχνῃ* iudicavit, rationem esse omnis virtutis moderatricem atque reginam, cf. de Legg. p. 696. 709.

Haec hactenus. Quod mihi proposui hac in commentatione, id assecutus esse mihi videor, si mihi contigerit, satis apte confirmare, Platoni virtutis fontem ac principium a ratione ac mente peti, ab eoque philosopho singulares virtutes ita describi, ut altera ab altera dirimi nequeat, nulla sine sapientia esse possit. Satis multos locos, quibus hanc rem confirmarem, congessisse me arbitror: nonnullos locos, ne nimis magno locorum cumulo legentium defatigarem animos, consulto omisi, quippe qui non omnes rei testes afferre studerem, sed gravissimos. Ac si quos locos apud Platonem repereris, in quibus Plato sibi non constare atque in aliam de virtute sententiam deflectere videatur, ut e. g. de Legg. p. 963*) fortitudo a sapientia sejuncta est: cogita, Platonem saepius non tantum suas sententias, sed etiam vulgi opiniones proferre, atque id ipsum Platonis interpreti esse difficillimum negotium, ex magna opinionum ac sententiarum congerie et imaginum, splendidissimarum quidem, sed nonnunquam difficillimarum intellectu, involucris veram philosophi sententiam perspicere.**) Quare si quando Plato singulares virtutes ita descripserit, quasi communi careant vinculo, ab eo idem factum putemus, quod Cicero dicit de Officiis II, 10: „Sed, ne quis sit admiratus, cur, quum inter omnes philosophos constet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse: alia est illa, quum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, quum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes esse dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis, quum loquimur de opinione populari.“

---

*) de Legg. p. 963: *ἐρῶ γάρ σοι τὴν αἰτίαν, ὅτι τὸ μὲν (ἡ ἀνδρία) ἐστὶ περὶ φόβον, οὗ καὶ τὰ θηρία μετέχει τῆς ἀνδρίας καὶ τά γε τῶν παίδων ἤθη τῶν πάνυ νέων. ἄνευ γὰρ λόγου καὶ φύσει γίγνεται ἀνδρεία ψυχή.*

**) Juvat Praeceptoris Germaniae, Phil. Melanchthonis, de Platone judicium ex ejus Declamatt. II, 371 addere: „Quum Plato eam, quam toties praedicat methodum, non saepe adhibeat, et evagetur aliquando liberius in disputando, quaedam etiam figuris involvat ac volens occultet, denique quum raro pronuntiet, quid sit sentiendum, assentior adolescentibus potius proponendum Aristotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras, et methodum simpliciorem, ceu filum, ad regendum lectorem adhibet, et, quid sentiendum, plerumque pronuntiat.“ cf. Phil. Mel. vit. auct. Matthes p. 404. Huc adde: Hegel de philos. hist. praelectt. vol. II. p. 179 seqq.



